41. *An res cœleſtis poſſit accipi ad exitium?* N. Chriſtus enim non accipitur niſi fide: & ſic acceptus non poteſt nō prodeſſe.

42. *Quomodo res terreſtris poſſit accipi ad exitium?* Quatenus indigne tractatur: quomodo videmus indignam tractationē ſceptri, diadematis, aut diplomatis regij redundare in ipſum regem.

Capvt XXXVIII.

De Sacramentis V. T.

I.

Qvomodo conueniant & differant ſacramenta V. & N. T.? Conueniunt definitione eſſentiali, differunt accidentali; h. e. nucleo, ſubſtantia, & re cœleſti conueniunt, ſed modo, re terreſtri, ritibus, facilitate, perſpicuitate, & ſimilib⁹ circumſtantijs differunt.

2. *Quotnam fuerint ſacramenta V. T.?* Late ſumta hac voce plura fuerunt quam duo. Nam purificationes, ſacrificia, &c. etiam fuerunt ſacramenta. Sed ſtricte nonniſi duo fuerunt: videl. circumciſio & agnus paſchalis.

3. *An etiam in N. T. habeamus circumciſionem & Paſcha?* Sane habemus At non ſunt ſacramenta, ſed ipſe nucleus, quem ve-

tera